



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

16. Cum, sicut Nobis &c. Damnatio & Prohibitio Libelli typis editi sub titulo:  
Veritable Tradition de l' Eglisem sur la Prédestination & la Grace & c. Par  
Mr. de Launoy Docteur en Théologie de la ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



omnibus re-  
cognosci, il-  
litique debi-  
tam obedi-  
entiam præfari  
mandat.

Clausula fu-  
blata cum  
decreto irri-  
tanti.

Derogat  
contrariis  
quibuscum-  
que.

obedientia, ac sub indignationis nostræ, aliisque  
arbitrio nostro imponendis penis omnibus, & sin-  
gulis Ordinibus, & Congregationum hujusmodi Su-  
perioribus, Fratribus, & personis, cæterisque,  
ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut supra-  
scriptos Fratres ad officia eis respectivè per præfentes  
demandata, illorumque liberum exercitium juxta  
earumdem tenorem præsentium recipiant, & ad-  
mittant, illosque recognoscant, & illis in omni-  
bus, quæ ad eadem officia pertinent, pareant,  
& obediant, faveantque, & assistant respectivè;  
Ac decernentes pariter ipsas præfentes literas  
semper firmas, validas, & efficaces existere,  
& fore, suosque plenarios, & integros effec-  
tus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spec-  
tat, & pro tempore quancumque spectabit  
in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari,  
& ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sic-  
que in præmissis per quoscumque Judices ordi-  
narios, & delegatos, etiam Causarum Palatii  
Apostolici Auditores judicari, & definiti, debere,  
ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam  
quavis auctoritate scienter, vel ignoranter con-  
tigerit attentari. Non obstant. præmissis, ac  
Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,  
necnon dicti Ordinibus, illiusque Congregationum,  
& Provinciarum præfatarum, aliisque quibusvis,  
etiam Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel  
quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consue-  
tudinibus; privilegiis quoque, indultis, & lite-  
ris Apostolicis in contrarium præmissorum quo-  
modolibet concessis, confirmatis, & innovatis.  
Quibus omnibus, & singulis, & illorum tenores  
præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis,  
& de verbo ad verbum insertis habentes, illis  
alias in suo robore permanens, ad præmissorum  
effectum hac vice dumtaxat specialiter, & ex-  
pressè derogamus, cæterisque contrariis quibus-  
cumque. Volumus autem, ut earumdem præsen-  
tium literarum transumptis, seu exemplis,  
etiam impressis, manu alicujus Notarii publici  
subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ di-  
gnitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides  
in judicio, & extra habeatur, quæ præsen-  
tibus ipsis adhibetur, si forent exhibitæ,  
vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Ma-  
riam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI.  
Augusti MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno  
Tertio.

Loco + Annuli Piscatoris.

F. Oliverius.

ANNO  
1704.  
XV.

C O N C E S S I O

Indulgentiarum pro Christianis Italicæ, & In-  
sularum adjacentium.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**Z**Elum, ac Religionem Christianissimam univer-  
sæ Italiae, necnon Insularum illi adjacentium,  
eo potissimum recurrente tempore, quo illorum  
plurimi vocem Domini, quæ commota est, &  
contemnit tera, non semel audiverunt, ad gra-  
tias Divinæ bonitati pro receptis beneficiis agen-  
das, ejusque operam in aliis gravissimis Christianæ  
Reipublicæ, ac Catholicæ Religionis præsentibus  
necessitatibus ferventius implorandam, spiritua-  
lium gratiarum muneribus incitare cupientes: Ve-  
nerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis,  
& Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati, &  
Ordinariis Civitatum, & Diocesium, Oppido-  
rum, Terrarum, & locorum universæ Italiae,  
& Insularum illi adjacentium hujusmodi, seu eo-

Bular. Rom. Continuât. Pars II.

rum Vicariis in spiritualibus Generalibus a sum le-  
rie committimus, & mandamus, ut statim atque ip-  
sorum præsentium literarum transumpta, seu exem-  
pla, etiam impressa, ad illos pervenirent, cam-  
panas quotidie per quindecim dies continuos  
ab eis præfinitos spatio octavarum partis horæ  
in suarum respectivè Civitatum, & Diocesium,  
Oppidorum, Terrarum, & locorum, tam Secu-  
larium, quam Regularium utriusque sexus Ec-  
clesiis pulsari mandent, ac Ecclesias, ut infra, vi-  
sitandas designent, seu designari curent; Nos  
enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christi-  
fidelibus, qui durante sono campanarum hujusmo-  
di quinquies orationem Dominicam, & totidem  
vicibus salutationem Angelicam in honorem quin-  
que vulnerum Domini Nostri Jesu Christi flexis  
genibus, seu aliter, prout poterunt, devotè reci-  
taverint, ac Divinam Clementiam, ut supra,  
exoraverint, quocumque die id egerint, quinque  
annos, & totidem quadragenas de injunctis eis,  
seu aliis per eos debitis penitentis misericorditer  
in Domino relaxamus; Illis verbò, qui præmissa  
per dictos quindecim dies continuos præfiterint,  
& in uno ex illis verè penitentes, & confessi, ac  
sacra communione refecti, Ecclesias per memo-  
ratos Ordinarios, & Prælatos, seu eorum Vi-  
carios respectivè, sive illorum jussu designandas  
devotè visitaverint, ibique, sicut præmittitur,  
pias ad Deum preces effuderint, plenariam om-  
nium peccatorum suorum Indulgentiam, & re-  
missionem concedimus, & elargimur.

Cæterum Regularibus utriusque sexus in per-  
petuâ clausurâ viventibus, necnon aliis Christianis  
liberis præfatis in carcere, vel corporis infirmitate,  
aliove quolibet impedimento detentis, qui Eccle-  
sias, ut præmittitur, designandas, visitare ne-  
quiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius  
ex approbatis, seu approbandis ab Ordinariis,  
in alia pietatis opera commutare, vel in aliud  
proximum tempus differre, eaque injungere possit,  
quæ ipsi penitentes adimplere poterunt, conce-  
dimus similiter, & indulgemus. Volumus autem,  
ut earumdem præsentium literarum transumptis,  
seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus  
Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ  
in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, ea-  
dem prorsus fides in judicio, & extra illud ha-  
beat, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent  
exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud  
Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v.  
Januarii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.  
F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo  
septingentesimo quarto, die 5. Januarii, Indic-  
tione 12. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris,  
& D. N. D. Clementis Divina Providentia Pape  
XI. anno ejus quarto, supradictæ literæ Apostolicæ  
affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ SS.  
Apostolorum Petri, & Pauli, Cancellariæ Aposto-  
licæ, in Monte Citorio, Actæ Campi Floræ, ac  
aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nico-  
laum Vasellum Apost. Curs.

Sebastianus Vasellus Pro Mag. Curs.

D A M N A T I O

Et prohibitio Libelli typis editi sub titulo: *Veritable  
Tradition de l'Eglise sur la predestination & la gra-  
ce &c.* Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de  
la Maison & Societé de Navarre. A Liege MDCCII.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

**C**Um, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierit  
libellus quidam, cui titulus: *Veritable Traditio-*

XVI.



tion de l'Eglise, sur la predestination & la grace &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maison & Societé de Navarre. A Liege chez Nicolas le François, proche les Carmes en Isle, à la prudence MDCCII. Naperrimè verò Venerabiles Fratres nostri S.R.E. Cardinales in totà Republicà Christianà contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores à Sede Apostolicà specialiter deputati, audità libelli hujusmodi censurà, illum ad minus, tamquam impium, blasphemum, necnon fulgidissimo Catholicæ Ecclesiæ lumini, maximoque Doctori Sancto Augustino quinimò ipsimet Ecclesiæ, atque Apostolicæ Sedi injuriosum, damnandum, & prohibendum esse censuerint: Hinc est, quod Nos pro commissâ Nobis divinitus gregis Dominici curâ, animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex præfati libelli lectione, & usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui ejusdem Sancti Doctoris præcellam doctrinam magno semper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus vestigiis firmiter inhærete volentes, de memoratorum Cardinalium consilio, libellum prædictum auctoritate Apostolicâ tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, seu retineri prohibemus, ipsiusque libelli impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianidelibus, etiam specificâ, & individua mentione & expressione dignis, sub penâ excommunicationis per Contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, à qua nemo à quoquam, præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdiciamus. Volentes, & auctoritate præfata mandantes, ut quicumque libellum hujusmodi penes se habuerint, illum statim atque præsentibus literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur; hi verò exemplaria sibi sic tradita illicò flammis aboleri curent: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ut autem eadem præsentibus literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignoranter allegare possit, volumus, & auctoritate prædictâ decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curie Generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic verò publicatas omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: Ipsarum autem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eandem protus fidem tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur eisdem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxviii. Januarii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.  
F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo quarto, Indictione xii. die verò xxviii. Januarii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Pape XI. anno ejus quarto, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curie Generalis in Mon-

te Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Nicolaum Vassellum SS. D. N. Pape Curf.

Pro D. Magistro Curforum Sebastianus Vassellus Curfor.

## D A M N A T I O .

Reprobatio, ac prohibitio quorundam Foliorum impressorum sub titulo: *Acte d' Appel interjeté par le Procureur General de Lorraine, & Barrois de l'execution du Bref du 22. Septemb. dernier &c.*

## C L E M E N S P A P A X I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nos aliàs per quasdam nostras in simili forma Brevis literas librum quemdam Gallico idiomate conscriptum, & in duas partes divisum, sub titulo: *Ordonnance de Leopold I. Duc de Lorraine, & de Bar &c. donnée à Nancy au Mois de Juillet 1701. A Nancy Chez Paul Barbier Imprimeur, & Libraire à la Ville Neuve MDCCI. damnaverimus, & reprobaverimus, ac legi, seu retineri prohibuerimus, & aliàs, prout in prædictis nostris literis die xxii. Septembris proxime præteriti expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur; Subinde verò ad Apostolatus nostri notitiam pervenisset in vulgus circumferri quædam Folia eodem gallico idiomate typis impressa, quibus titulus: *Acte d' Appel interjeté par le Procureur General de Lorraine, & Barrois de l'execution du Bref du 22. Septembre dernier rendu contre l'Ordonnance de Son Altesse Royale du mois de Juillet 1701. de notre Saint Pere le Pape Clement XI. mal informé, à notre dit Saint Pere le Pape, lors qu'il sera mieux informé, avec l'Arrêt d'enregistrement d'icelui*: Nos nonnullos ex Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, aliisque in Sacrà Theologiâ Magistros, & in Decretis Doctores ad eorumdem Foliorum examen delegimus, qui omnes Folia ipsa, tanquam continentia propositiones falsas, temerarias, calumniosas, in praxi perniciosas, Ecclesiæ injurias, ac jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ læsivas, similiter damnanda, & prohibenda esse censuerunt. Auditis itaque eorumdem Cardinalium, Magistrorum, & Doctorum sententiis, creditum Nobis à Domino pastoralis curæ, atque vigilantæ munus, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de ipsorum Cardinalium consilio, Folia supradicta auctoritate Apostolicâ tenore præsentium damnamus pariter & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christianidelibus, etiam specificâ, & individua mentione, & expressione dignis, sub penâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, à qua nemo à quoquam, præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdiciamus.*

S. I. Volentes, & eadem auctoritate mandantes, ut quicumque Folia hujusmodi penes se habuerint, illa statim atque præsentibus literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur. Præterea eadem folia, necnon appellationem, arrestum, aliaque in eis contenta quæcumque nemini suffragari posse, ad effectum impediendi, declinandi, seu etiam suspendendi executionem præfatarum nostrarum literarum, quæ juxta earum formam, & tenorem servari omnino debeant, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus. Non obstantibus constitutionibus, &